ACADEMIÆ GIESSENSIS
RECTOR
TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO,
OMNIVM FACVLTATVM STVDIOSIS
S. P. D.

VIR *ſummæ eruditionis Joſephus Scaliger*, qui nullam diſciplinarum ſcientiarumvé intactam reliquit, *atteſtante Caſaubono, in Epiſtola ad Ubertum Aurelianenſem de ſe fateri non erubuit:* Quotidiè ego poſt lectionem tot ſcriptorum, cúm Socrate dicere cogor, me hoc tantum ſcire, quod nihil ſcio, & tamen aliquid ſemper molior. *Maximum enim eorum quæ ſcimus, minimum eſt eorum quæ ignoramus. Si veteranus miles de haſta non abjicienda ſuis diffidit viribus, quid ſperandum erit à tyrone, in armorum graviori genere inexercitato? Non eſt, ut ſcioli multum ſibi placeant, quòd Apollinis arcem conſcenderint, cùm Muſarum ædem vix à primo limine inſpexerint. Vbi enim ſolidioris ſcientiæ documentum reddendum, ſe hoſpites & in alieno quaſi terrarum orbe verſari deprehendent. Ad comparandam uberiorem literaturam latiſſimũ campum præbent hæ tabulæ. Felicia ingenia ne erubeſcant hîc* μαθητῶν *& in iis pertexere telam, in quibus ante greſſo tempore cœperunt ſuamq; navârunt operam. Quicquid expromit charta, commodum ſpectat Eorum, qui noſtris tenentur ſtudiis. Applaudite, literarum Cultores ingenui, operæ noſtræ, utq; in alveolos ſtudiorum veſtrorum derivare poſſitis, omnem movete lapidem. Nos juxta Hebræorum ſententiam, lapidem attollemus, ut inveniatis reconditam margaritam. Sed nonniſi ſtudio indefeſſo fructus colliguntur precioſi, quorum ſpes multum edulcare poteſt laboris amaritiem.* Ἀμύητοι ϗ ἀνήκοοι *procul abire jubet officina literaria, nonniſi diſcendi & audiendi cupidos invitat. In laudum genere ponebant olim Viri Synagogæ magnæ,* multos alere diſcipulos. *Gloria prima hujus Lycei erit Studioſa cohors, laboribus noſtris intenta, cui ad diligentiam ulteriorem ſuſcitabula ſunto futuri labores Academici. Fruimini, colligite Iuvenes, de quibus meſſem faciatis Senes.*

P. Gieſſæ, Die XI. Sept. Anno M.DC.LXIV. ſub Sigillo Academiæ Majori.

IN FACULTATE THEOLOGICA:

PETRUS HABERKORNIUS, *D. Profeſſ. P.* In Compendio Theologico hâc hyeme progredietur, explicaturus Articulos de SS. Trinitate, de Perſonâ Chriſti, & ſic porrò, tam in Lectionibus publicis, quàm in Diſputationibus & Collegiis privatis. In Diſputationibus publicis Materia contra Syncretiſmum inchoata continuabitur, & Deo dante, abſolvetur.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *SS. Theol. D. Ejusd. & Hebrææ Linguæ Prof.* p. t. Academ. RECTOR. Synopſin ſuam Theologicam publicè explicabit; Privatim per quæſtiones ad diſputandum revocabit, additurus Collegium Hebraicum, pro Auditorum placito.

MICHAEL SIRICIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ordinar.* publicè in Materia de Fide & B.O. perget. Privatim aperiet Collegium Anti-Calvinianum. Cumq; nonnulli ad altiora tendentes ſæpius deſiderârint Collegium aliquod Hiſtorico-Theologicum, promittit non jucundum ſolùm ſed & utilem laborẽ in curſoria Repetitione omnium præcipuorum Colloquiorum, quæ à tempore Reformationis inter diverſarum partium Theologos habita fuerunt.

IN FACULTATE JURIDICA.

JOHANNES OTTO TABOR, *D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, &c. Academiæ Cancellarius & Profeſſor primarius:* Poſt abſolutam Comitiologiam, ex ordine jam olim publicis typis deſignato, in prælectionibus publicis, *De Officiis Domus Auguſtæ, ac hodiernis Imperii Officialibus* ut vocant; tùm porrò *de Jure Legatorum* aget; Feudorum autem jura pro copia Reſpondentium, Diſputationibus publicis illuſtrabit. Collegium etiam privatum, de hac materia deſiderantibus aperiet; Deniq; totam juris privati Encyclopædiam, ea quam hactenus tertia vice in hac Academia, non ſine commodo fructuq; aſſiduorum notabili, adhibuit methodo, cum diligentibus & hoc agentibus Studioſis diligenter D.V. pertractabit.

GREGORIUS TÜLSNERUS, *U.J.D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus & Profeſſor Ordinarius*, DEo clementer opitulante, per inſtans ſemeſtre hibernum, in notabilium Codicis Juſtinianei Legum explicatione publicè perget: Caſus quoq; inſigniores, Facultati Juridicæ, ad decidendum oblatos, ſubinde proponet & reſolvet.

JACOBUS LE-BLEU, *U.J.D. & Pandectarum Profeſſor Ordinar.* In prælectionibus publicis explicabit materiam Tutelarem & Teſtamentariam, illuſtrioreſq; eò pertinentes reſolvet controverſias: Collegia quoque Juris privata, pro lubitu Dnn. Studioſorum, aperiet.

MARTINUS Müller/ *U.J.D. & Juris Canonici Profeſſor Ordinarius* publicè, Deo dante, ex Jure Canonico proponet quæſtiones ſingulares; privatim verò aperiet Collegium Inſtitutionum Juris explicatorium, per ſemeſtre brumale abſolvendum; rediturus inſuper ad Collegium Pandectarum Examinatorium & Explicatorium, in ſtudio Juridico operam ſuam, prout Dnn. Studioſis commodum viſum fuerit, offerendo.

HULDERICUS Eyben/ *Jur. Doct. & Profeſſ. Ordinar.* quâ hactenus fecit ratione Prælectiones *Inſtit.* publicas continuabit: neq; de cætero quicquam omittet, quó privata *Dnn. Commilitonum* ſtudia, piè & ſincerè adjuvare, commodiſq; eorum ſervire poterit.

IN FACULTATE MEDICA.

JOHANN DANIEL HORSTIUS, per *Annos XXVI Archiater & Medic. Profeſſor Prim.* propter abſentiam licet non poſſit Lectionibus & Diſputationibus Ordinariis operam dare, id tamen aget, ut, neceſſitate urgente, *Conſiliis & Inauguralibus Actibus* impoſterum quoque, uti per aliquot annos hactenus factum, *Medicæ Facultati* animi promptitudinem inſerviendique ſtudium conteſtetur.

JOHANNES TACKIUS, *Phil. & Med. D. Profeſſor & Archiater Haſſo-Darmſtadinus*, poſtquàm ab Academia ad Aulam vocari cœpit, non propterea ſe à laboribus Academiæ & juventuti debitis, abſtrahet, omnibus Philiatris ſuam offert & pollicetur προθυμίαν etiam hâc hyeme conteſtandam.

LAURENTIUS STRAUSIUS, *Med. D. & Profeſſ. Ord.* Doctrinam de Febribus, modô & viâ, hactenus tritis, *publicè* continuabit: *privatim* verò Collegium nuper inchoatum, quô cœpit ſtudio, pertexet, alibiq; tàm diſputando, quàm conſultando, Dn. Studioſorum deſiderio reſpondere καδδύναμιν conabitur.

MICHAEL Helland/ *Phil. & Med. D. nec non Prof. Ordinarius*, Poſtquam ad finem perduxerit qui adhuc reſtant Oſſium affectus præter naturam, eam aggredietur materiam cujus tractationem Auditoribus ſuis maximè proficuam deprehendet. Privatim Anatomica proponet, Partium Humani Corporis naturalem conſtitutionem uſumque & actionem tradendo, non neglectis ſectionibus brutorum, prout uſus id exiget. Suam quoq; indefeſſam offert operam, quibus Chirurgica tractare viſum fuerit. Quin & publicas privataſve Humani Corporis Sectiones celebrandas ſpondet, quoties occaſio id concedet.

HIERONYMUS Röttel/ *D. Deo, Opt. Max. fav.* abſolutis quæ in Phyſiologia tractanda reſtant, Pathologiæ operam dabit publicè; privatim fructuoſo Philiatrorum placito.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. JOH. CONRADUS DIETERICHIUS, *Græcæ Linguæ & Hiſt. P.* in Hiſtoriâ Cæſarum, nec non in Græcis Scriptoribus, perget, additurus Collegia privata.

JACOBUS LE-BLEU, *U.J.D. & Prudentiæ Civilis Profeſſor Ord.* In prælectionibus publicis Politicis exponet, jus dominationis, negotiorum Religionis, officia Magiſtratuum tam ſuperiorum, quàm inferiorum, item ea quæ ad opes Reipubl. juraque fœderum, pacis, belli, induciarumq; pertinent, Collegia etiam privata inſtituet.

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *Organicæ et primæ Philoſophiæ Profeſſor Ordinarius*, abſolutis, per æſtivum ſemeſtre, quæ ad primam & ſecundam mentis operationem pertinent, in Logicis Lect. Publ. per inſtans brumale tradet ea quæ ad tertiam: Poſtmodum Metaphyſica explicabit eâdem methodo, quâ progreſſus eſt in Logicis. Collegium Philo-Theoſophicum Publicis *Diſputationibus* continuabit, nec non, quæ reſtant ex Curſu Metaph. habebit *Diſpp.* Publ. In Logicis quoque aliud exercitium publicum diſputatorium ſuis commendabit Auditoribus. Privatim verò collegia Logica & Metaphyſica explicatoria & diſputatoria aperiet.

M. JOHANNES Weiſſ/ *Mor. Prof. Ord.* publicè Lectiones in Inſtitutiones morales continuabit, & Diſputationes Exercitationum Moralium, volente DEo, abſolvet. *Privatim* verò Collegia Ethica tam lectoria, quàm diſputatoria pro lubitu Dnn. Studioſorum aperiet.

FRIDERICUS Müller, deinceps operam dabo, ut Matheſeos *curſus annuus* fiat iis, qui *publicas Lectiones* tantum frequentant; *Semeſtris* verò iis, qui publicis privata Collegia jungent. Ideoq; hâc hyeme tradam in *publicis Lectionibus* Arithmeticam, Geometriam & Opticam; in *privatis Collegiis* Aſtronomiam & Geographiam. De auſpiciis *Collegiorum Geodætici & Fortificatorii* conveniet inter Dnn. auditores, ea ultrà *primum Lunæ diem* poſt *Michaëlis Feſtum* differenda non eſſe, ut, dum tempeſtas favet, *exercitia agrimenſoria & fortificatoria in campis* ritè abſolvantur.

LAURENTIUS STRAUSIUS, *D. & Phyſic. Profeſſ. Ordinarius*, *publicè* Philoſophiæ Naturalis rudimenta ſuccinctè explicabit, non omiſſis Recentiorũ obſervationibus; *privatim* verò tam diſputando quàm legendo Dn. Studioſorum voluntati & captui ſeſe, datâ operâ, accommodabit.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *Orat. Prof. Ord.* publicè in Livii explicatione progredietur; privatim ſcribendarum Epiſtolarum exercitió Auditoribus ſe, Deo juvante, induſtrium exhibebit.

Typis, JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi Ordinarii.